

**www.e-rara.ch**

**Sulpicii Severi Historia sacra**

**Sulpicius**

**Tiguri, 1708**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rm 112

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24855>

[Cap. XLI. - Cap. LIV.]

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

& vitia delapsus, cum adversum interdictum Dei ex alienigenis conjugia sumpsisset, etiam septingentas uxores & trecentas concubinas haberet, idola eis ritu gentium suarum, quibus litarent, constituit. Quibus rebus aversus Dominus, graviter increpito pœnam denunciavit, fore ut regnum ex parte majore ademptum filio, servo illius traderetur. Idque ita accidit.

Cap. XLI.  
Roboam  
Rex.  
1. Reg. 12.

Defuncto Salomone anno imperii quadagesimo, cum Roboam filius anno ætatis sexto & decimo regnum patrum tenere

4. *Adversus interdictum Dei*) 1. Reg. XI. 1, 2, 3. Contra legem Exod. XXXIV. 16. Deut. VII. 3, 4. Præcipua uxorum, sive Augusta, fuit filia Pharaonis. Sed hanc judaicam religionem amplexam fuisse multi opinantur.

*Ex alienigenis*) Videl. filiam Pharaonis regis Ægypti, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, Chethæas. 1. Reg. XI. 1. §

*Conjugia sumpsisset*) Conjuges, uxores. Vide supra c. 2. 7. c. 24. 2. *Matrimonia* pro uxoribus usurpavit quoque Tacitus Annal. II. 13. Justin. III. 5: 6. Sic apud alios *Dominatio* pro *Dominis*; *consilium* pro *consiliariis*; *Amicitia* pro *amicis*, & id genus infinita.

*Septingentas uxores*) Duplex ergo crimen commisit: primum, quod multas ingenti numero, barbarico more, contra interdictum Deut. XVII. 17. Deinde, quod Sidonias, id est, Cananæas & Hethæas duxit contra interdictum Deut. XVII. 3.

*Idola*) Simulachra Chamofsi, Astartes & Molochi.

5. *Ex parte majore*) Tribus decem. 1. Reg. XI. 31.

*Filio.*) Roboamo.

*Servo illius*) Jeroboamo. De quo cap. seq.

*Idque ita accidit*) Superfite adhuc Solomone Rezon Damascum, quæ Solomoni parebat, Hadad Idumæam invasit. 1. Reg. XI. 14: 23.

Cap. XLI. 1. *Anno ætatis sexto & decimo*) Quadagesimum primum annum agebat Roboamus, quum patri successit. 2. Chron. XII. 23. Sed, ut Abia, filius ejus fassus est, puer & mollis animo, 2. Chron. XIII. 7.

cœpisset, pars populi ab eo offensa discedit. Etenim cum laxari sibi stipendium poposcisset, quod Salomon gravissimum imposuerat, repudiatis precibus supplicum favorem universæ plebis averterat. Itaque consensu omnium, imperium ad Jeroboam defertur. Is medio genere ortus, aliquamdiu Salomoni servitutem pependerit. Sed cum ei responso Achizæ prophetæ regnum Hebræorum annunciatum comperisset, necare eum clam destinaverat. Quo ille metu in Ægyptum confugit: ibique uxore accepta, ex stirpe regia, cognita demum Salomonis morte, in solum patrium regressus, voluntate populi, ut supra retulimus, sumpsit imperium. Penes Roboam tamen duæ

Jeroboam  
Rex Israël.

*Pars populi*) Decem tribus. 1. Reg. XI. 31.

*Averterat*) Legendum fortasse, à se averterat.

2. *Medio genere*) Neque plebejò prorsus, nec tamen regali; sed inter utrumque medio.

*Salomoni servitutem pependerit*) Servus fuerat. Ut Salustius B. Cat. c. 25. dixit stipendium pendere, alii pœnas pendere; ita Noster hic dicit servitutem pendere, supra captivitatem pendere. Ipsa phrasis autem, inquit Vörstius, dubito an satis apta huic loco sit. Etsi enim legitur, Jeroboamum Salomonis servum fuisse, non tamen putandum, Salomonem tanquam mancipio usum eo fuisse; sed ut ministro aulico eoque non postremo. Sane 1. Reg. XI. 28. legitur, Salomonem præfecisse illum omni oneri domus Josephi.

*Achizæ*) vel Ahizæ, qui & Ahias Silonites vocatur.

3. *Ibique uxore accepta*) Hoc de Hadad Idumæo Scriptura prodidit non de Jeroboamo. 1. Reg. XI. 19.

*Voluntate populi*) Volente populo. Cæsar lib. I. de B. Civ. Curio omnium summa voluntate Iguvium recipit. Et lib. III. Kalenus Delphos, Thebas, Orchomenum; voluntate ipsarum civitatum recipit.

4. *Duæ tribus*) Una habetur, 1. Reg. XI. 36. XII. 20. Sed sub hac una comprehendebatur etiam tribus Benjamin, quæ tribui Judæ finitima erat.

tribus, Judæ & Benjamin, resederant : ex his ad trecenta millia paravit exercitum. Quumque acies promoverentur, verbis Dei populus admonetur, *proelio abstineret, ex suo nutu Jeroboam regnum accepisse*. Ita spreto regis imperio, exercitus dilapsus : Jeroboam Imperium invaluerat. Sed cum Hierosolymam Roboam obtineret, ubi templo à Salomone factò populus sacrificare Domino consueverat : veritus Hieroboam, ne ab eo plebem religio averteret, statuit animos ejus superstitione occupare. Itaque vaccam auream in Bethel, alteram apud Dan constituit, quibus populus litaret : sacerdotesque, omiſſa Levi tribu, ex plebe instituit. Invisum Domino flagitium expostulatio consecuta. Crebra deinde inter reges prælia : dubio eventu regnum obtinebant. Roboam septimo & decimo imperii anno exacto, vita functus est.

1. Reg. 13.

*Ad trecenta millia* ) Lege *ad ducenta millia*, gegent 200000. Nam in fontibus habemus *centum octoginta millia*. 1. Reg. XII. 21.

*Verbis Dei* ) Nomine Dei, per Semajam Prophetam. 1. Reg. XII. 22. Ita supra c. 14. 3. c. 34. 1. *Samuel Verbis Domini nuntiat*. Infra c. 43. 5. *Cum Helias verbis Dei polliceretur*. c. 44. 2. 6.

*6. Vaccam auream* ) Quas hic *vaccas* dicit, Interpretes *vitulos* vocant. 1. Reg. XII. 28. Hos. XIII. 2.

*Ex plebe* ) Ex plebe infima.

*Expotulatio consecuta est* ) Per prophetam quemdam, qui Jeroboamum nomine Dei graviter increpuit.

*Prælia regnum obtinebant* ) Libet suspicari scripsisse Nostrum *obtereabant*, h. e. minuebant, frangebant. Quæ lectio haud dubium, quin melior sit.

*Vita functus est* ) Mortuus est. Pro quo & *diem fungi* supra dixit c. 7:7. *Frequentius est defungi vita, & omiſſo nomine, defungi*.

1 In hujus locum Abiu filius ejus regnum Hierosolymæ sex annos tenuit: quamvis in Chronicis triennio regnasse referatur.

2 Huic Asa filius successit, à David quintus ferè, quippe abnepos ejus, fuit religiosus Domini cultor: namque deletis aris lucisque idolorum, vestigia paternæ perfidiæ sustulit. Fœdus cum rege Syriæ firmavit: ejus auxilio Jeroboæ regnum, quod tum à filio tenebatur, multa clade affecit: ac sæpe victis hostibus prædam ex victoria retulit. Post unum & quadragesimum annum, æger pedibus decessit. Huic triplex peccatum adscribitur; unum, quod societate regis Syriæ nimium confusus sit: alterum, quod prophetam Domini hoc ip-

Cap. XLII.

1. Reg. 14.

Abia Rex

Judæ.

Asa Rex

Judæ.

2. Par. 16.

Cap. XLII. 1. *Abiu*) Abia & Abiam vocatur 1. Reg. XV. 1. 2. Chron. XIII. 1. At Noster secutus est Interpretes Græcos, qui scripserunt *Αβία*,

*Sex annos tenuit*) Sacer codex triennio tantum regnum tenuisse Abiam docet. 1. Reg. XV. 2., 2. Chron. XIII. 1.

2. *Quintus ferè*) Quartus erat à Davide, ut ex serie Regum videre licet; Salomo, Roboam, Abia, Asa.

*Fuit religiosus Domini cultor*) Fuit inter Reges Judæ & Israël illud discriminis, quod Israëlita semper in institutis Jeroboami manserunt, perpetui idololatræ. Ex Regibus Judæ alii Roboami impietatem secuti sunt, alii Davidis pietatem.

*Paternæ perfidiæ*) Apostasiæ, idololatriæ, qua se contaminavit Abia. 1. Reg. XVI. 3.

*Cum rege Syriæ*) Benhadado. 2. Chron. XVI. 2, 3.

*Jeroboæ regnum*) Quomodo casibus obliquis *Adæ*, *Abrahæ* utuntur Scriptores ecclesiastici, quamvis casum rectum faciant *Adam*, *Abraham*, ita noster nunc *Jeroboæ* scribit, quamvis casum rectum *Jeroboam* fecerit.

*Quod tum à filio tenebatur*) Imò non à filio, sed à Baësa, tertio rege Israël. 1. Reg. XV. 16.

*Æger pedibus*) Et hoc ex Sallustio, qui B. Cat. c. 59. *Anonius pedibus æger prælio adesse nequibat.*

sum increpantem, in vincula conjecit: tertium, quia in pedum dolore remedium non à Domino, sed à medicis speraverit. Sed initio regni hujus, Hieroboam rex decem tribuum, defunctus est, regnum Nadab filio reliquit. Is malis operibus, & tam suis quam maternis meritis invisus Domino, non ultra biennium regno potitus est, privataque imperio indigna progenies. Baasam Achizæ filium successorem habuit, æque à Domino alienissimum. Isque sexto & vigesimo imperii anno defunctus est: regnum ad Helam filium devolutum, nec ultra biennium retentum. namque eum Jambri, princeps equitum, epulantem interfecit, regnumque occupavit: vir perinde in Dominum atque homines impius. Ab 6

Nadab  
Rex Isr.  
1. Reg. 15.

Baasa  
Rex Isr.  
Ela Rex Isr.  
1. Reg. 16.

Amri  
Rex Isr.

4. *Maternis meritis*) Legendum sine dubio *paternis meritis*, monente Sigonio. loquitur enim de Jeroboamo patre, auctore idololatriæ omnis in Israele.

*Paternis meritis*) criminibus, noxis. *Meritum* vocabulum est μέτρον seu medium, quod tam in vitio quam in laude ponitur & bene juxta & male factum notat. Justin. 1. 6. 7. *Astyages meriti sui in Harpagum obtutus.* &c.

*Invisus Domino*) Exosus. vide supra c. 5. 3.

*Non ultra biennium*) Non planè biennium. Nam regnavit anno integro: alterum inchoavit solùm 1. Reg. XV. 25.

*Privataque imperio progenies.*) Non idem evenit in Regibus Israël atque in Regibus Judæ. Nam in his regnum semper mansit in eadem tribu & familia: in iis verò vix pervenit ad filium aut nepotem.

5. *Sexto & vigesimo imperii anno*) Legendum *quarto & vigesimo imperii anno.* 1. Reg. XV. 33.

*Ad Helam*) Scribendum hoc nomen absque adspiratione ad Elam.

*Jambri, princeps*) Lege *Zimri*. Nam errat hic Sulpicius. Hic enim Elam interfecit.

hoc pars populi secessit : Thamni cuidam regium nomen delatum. Sed Jambri ante hunc septem annos, & cum eodem duodecim regnavit. At in parte tribus Judæ Asa mortuo, Josaphat filius ejus regnare cœpit, vir religiosus virtutibus merito clarus. Is cum Jambri pacem habuit. Defunctus est autem, cum regnasset annos V & XX.

Josaphat  
Rex Jud.

Hujus imperii tempore Achab, Jambri filius, rex decem tribuum fuit, ultra omnes in Dominum impius. Namque Jezabel filia Basæ regis ex Sidone, in matrimonio accepta, Baali idolo aram lucosque constituit, & prophetas Domini interemit. Quo

Cap. XLIII.  
1. Reg. 16.  
Achab  
Rex Isr.

6. *Thamni cuidam*) Thibni in textu originali vocatur.

*Jambri ante hunc septem annos* &c.) Hæc paulò aliter narrantur in textu sacro. Amri regnavit duodecim tantum annos, videl. sex Tirtzæ & totidem in Samaria à se condita. 1. Reg. XVI. 25. Quamdiu autem regnaverit Thamni, incertum, neque in S. literis expressum est.

7. *Is cum Jambri pacem habuit*) Atqui ante Josaphatum Amri fato functus est. Id liquet ex 1. Reg. XVI. 29.

Cap. XLIII. 1. *Ultra omnes*) Supra omnes. *Ultra* pro *supra* non raro usurpat Noster: vide l. 3. 1. inf. l. 49. 3.

*Jezabel*) Fæmina imperiosa, crudelis, idololatra.

*Filiâ Basæ*) Non Basæ, sed *Ethbaal*. 1. Reg. XVI. 31.

*In matrimonio accepta*) De hac constructione vide *supra* c. 9. 1.

*Baali idolo*) Id est, Jovi Syrio. Jupiter iste in Babylonia *Bel* dicebatur.

*Lucosque constituit*) Luci pluribus gentibus fuerunt pro templis. De Germanis Tacitus c. 9. 4. *Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* De Indis Curtius VIII. 9. 34. *Deos putant quicquid colere ceperunt; arbores maxime, quas violare capitale est.* De Romanis Plinius XII. 1. *Arbores fuere Numinum templâ, priscoque ritu simplicia rura, etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant, &c.*

Elias Proph.  
1. Reg. 17.

tempore Helias propheta oratione cœlum  
conclufit, ne pluuiam terræ daret: idque  
regi denuntiavit, ut fe impius caufam mali  
effe cognofceret. Igitur fufpenfis cœlo  
aquis, cùm loca omnia adufta folis ardori-  
bus non victum hominibus, non pabulum  
jumentis darent, ipfe fe intra periculum  
famis propheta concluferat. Ea tempefta- 3  
te cùm eremum petiiffet, corvis cibum mi-  
niftrantibus, vixit. Aquam torrens proxi-  
mus, donec aruit, dedit. Inde admonitus 4  
à Domino, Sareptæ oppidum petiit: ad  
mulierem viduam divertit. Cumque ab ea  
efuriens cibum peteret, illa caufari, non effe  
*sibi nifi pusillum farras, & pusillum olei: quo  
abfumto, una cum filiis mortem exspectaret.*  
Sed cùm Helias verbis Dei polliceretur, nec 5  
*hydriam farre, nec vas oleo effe minuendum,*

2. Helias propheta ) Leniter fcribendum Elias. Fuit  
hic Thefbites ex tribu Dan.

Cœlum conclufit ) Per triennium & fex menses. Jacob.  
V. 17.

Se intra periculum famis ) Eadem phrafi de Monacho  
quodam Ægyptio Noster ufus est in Dial. I. c. 11: 2. *Fam-  
que octavus dies fuerat, quo fe homo Christi intra periculum  
famis ipfe concluferat.*

3. Corvis cibum ) Carnes & panem.

4. Inde admonitus. Postquam exaruiſſet torrens.

Sareptæ oppidum ) Sareptam petiit. Sareptæ oppi-  
dum dixit, ut alii *urbs Antiochiæ, urbs Romæ* &c Nimi-  
rum ut generi ſpeciem, ſic ſpeciei individuum adjiciunt  
ſecundo caſu.

Ille caufari ) Cauſam afferre, prætexere.

Una cum filiis ) Unâ cum filio. Nam unius tantum fi-  
lii mentio fit in Codice Sacro.

5. Nec hydriam farre ) Nec cadum farina. Far dixit pro  
farina, & hydriam pro cado.

Nec vas oleo effe minuendum ) Minutum iri, vide ſupra  
G. 6. 1.

mulier poscenti fidem, non cunctata propheta credere, promissorum fidem consecuta est. Siquidem divinis incrementis tantum accresceret, quantum quotidie detrahebat. Eodem tempore ejusdem viduæ filium mortuum, Helias in vitam reduxit. Tum jussu Domini regem adiit, exprobratoque ei sacrilegio, poposcit ad se omnem populum congregari. Qui cum propere convenisset, accitis idolorum ac lucorum sacerdotibus CCCC fere & L. inter eos inde orta est altercatio: Helia Dominum prædicante, illi superstitiones suas asserebant. Postremò, placuit fieri periculum, ut, *si cujus casam hostiam missus cælo ignis absumeret, rata esset religio, quæ virtutem edidisset.* Ita sacerdotes occiso vitulo, Baal idolum invocare cœperunt: frustra que consumptis invocationi-

*Promissorum fidem consecuta est.*) Præstationem, impletionem promissorum consecuta est. Fidem pro promissi præstatione accipit quoque infra c. 48. *Fides dictis non adfuit,* & lib II. 2. 4. Curt. VII. 4. 18. *Promisso fides exiit.* i. e. promissi executio. In his locis *fides* non pro pollicitatione, promissione, ut in phrasibus, *fidem dare, accipere, servare,* sed pro ejusdem quod promissum est præstatione, & pro re ipsa accipienda.

6. *Exprobrato ei sacrilegio*) Idololatria, ut supra c. 19. 6. & in hoc capite iterum. §. 9. *Solum se à sacrilegio immunem esse crediderat Elias.*

*Sacerdotibus cccc fere & L.*) Vocula ferè *παρέλκει,* ut supra sæpius. Porro præter Idoli Baal sacerdotes 450. erant etiam Lucorum sacerdotes 400. vide I. Reg. XVII. 19.

7. *Religio, quæ virtutem edidisset*) Quæ signum vel miraculum edidisset. *Virtus* h. l. non opponitur vitio, sed imbecillitati. *Δυνάμεις* virtutes sacri Scriptores vocant potenter facta, quæ vim divinam demonstrant.

*Occiso vitulo*) Verbo nostra Germanica habet *Sarren.*

bus, imbecillitatem domini sui tacitè fatebantur. Tum verò Helias irridens eos : *Ne forte, inquit, dormiat, clamate vehementius, ut somno, quo tenetur, evigilet.* Enimvero miseri trepidantes, mussare, & tamen, quidnam Helias facturus esset, expectare. At ille, cæsum vitulum imposuit, quum prius sacrarium aquâ opplesset : invocatoque Domino, expectantibus cunctis, ignis cælo delapsus, aquam cum hostia absumpsit. Tum verò populus solo stratus, Dominum fateri, idola execrari : postremò Helia, jussu prophani sacerdotes comprehensi, deductique ad torrentem, necati sunt. Redeuntem inde regem propheta profecutus est. Sed cùm ei Jezabel regis uxor vitæ periculum pararet, ad remotiora secessit. Ibi eum Dominus allocutus est, *septem millia virorum esse adhuc pronuncians, qui se idolis non dedissent.* Mirum id Helia fuit, qui solum se à sacrilegio immunem esse crediderat.

1. Reg. 19.

*Domini sui* ) Dei sui.

8. *Cæsum vitulum* ) Bovem in partes dissectum.

*Cum prius sacrarium aqua opplesset* ) Altare, vel aquæ ductum, qui circum altare fuit. Vocat autem *sacrarium*, quia locus erat sacratus Deo. 1. Reg. XVIII. 32. & seq. Altaria infra quoque c. 52: 3. *sacraria* vocasse legimus.

*Cum hostia* ) Cum holocausto.

*Ad torrentem* ) Kison in Originibus sacris vocatur, estque torrens Galilææ inferioris, ad radices montis Tabor, unde oritur.

9. *Propheta profecutus est* ) Promissa pluvia, quam & precibus suis à Deo mox impetravit.

*Profecutus est* ) Donec veniret in Israël.

*Ad remotiora secessit* ) Ad desertum Bersabee, quod in finibus Judæ. Inde quadraginta dierum itinere ad montem Horeb pervenit, & ibi in spelunca se abdidit.

*Non dedissent* ) Non deditissent.

*A sacrilegio* ) Ab idololatria, ut supra hoc ipso capite

1 · Ea tempestate Achab rex Samariæ vine- Cap. XLIV.  
am Nabuthæi, adhærentem sibi, concupi- 1. Reg. 21.  
vit. Quam cùm ille ei vendere noluiſſet,  
2 dolis Jezabel interfectus est. Ita Achab vineâ  
potitus est, cùm tamen Nabuthæi mortem  
3 doluiſſe referatur. Mox per Heliam ver-  
bo Domini increpitus, agnitoque crimine  
cilicio indutus, egisse pœnitentiam tradi-  
tur. Quo facto, imminentem pœnam aver-  
tit. Namque rex Syriæ magno cum exer-  
citu, duobus & triginta regibus in societa-  
tem belli ascitis, fines Samariæ ingressus,

Cap. XLIV. 1. *Vineam Nabuthæi*) Nabothi.

*Adhærentem sibi*) Adhærentem domui suæ regiæ. Ut Terent. Phorm. V. I. *A fratre quæ egressa est meo*, pro *ex adibus fratris*. Plaut. Menechm. V. Scen 2: 11. *Ire ad se*, i. e. domum suam. Similis ferè locutio illa Marci V. 35. *Ab Archisynagogo*, i. e. à domo Archisynagogi. Nam Jairus tum ipse cum Jesu erat. In quem locum vide-  
sis Bezam.

*Dolis Jezabel interfectus est*) Lapidibus obrutus, falsis subornatis testibus, qui dicebant, eum Deo ac Regi maledixisse.

*Doluisse referatur*) Hoc non refertur in fontibus. Alludit ad versionem Græcam 1. Reg. XXI. 16. quæ non nulla habet in hanc sententiam.

2. *Verbo Domini increpitus*) Jussu Domini, ut supra c. 41. 4.

*Cilicio indutus*) Hirta veste. Cilicium lugentium & pœnitentium vestis fuit apud Hebræos, quam Græci LXX. *σάκκον* appellant. Dicebantur autem *Saccia* forma; angusti enim & minimè fluitantes erant: *Cilicia* à materia, pilis videl. hircorum sive caprarum, ex quibus contexebantur.

*Egisse pœnitentiam*) Quæ non vera & seria fuit, sed simulata & evanida. Vera reducit ad frugem & vitia virtutibus emendat, quod non fecit Achabus.

*Pœnam avertit*) Aliquid de pœna commerita avertit, tota in filium translata est.

3. *Rex Syriæ*) Benhadad. 1. Reg. XX. 1.

cum rege urbem obsidere cœpit. Actis  
 deinde obsessorum rebus, dat belli condi-  
 tiones, *si aurum & argentum & fœminas*  
*tradidissent, fore uti vitæ eorum parceret.* Sed  
 tam injustis conditionibus extrema perpeti  
 satius visum. Et cùm jam omnium desperata  
 esset salus, propheta à Domino missus, regem  
 adit, hortatur ut in prælium exeat: cunc-  
 tantem, multis confirmat. Ita eruptione  
 facta, fusi hostes, copiosaque præda reperta.  
 Sed post annum reparatis viribus, Syrus in  
 Samariam regressus, acceptam cladem ul-  
 tum ire cupiens, rursus victus est. Eo  
 prælio CXX. millia Syrorum interiere:  
 Regi venia data, regnum ei & pristinus sta-  
 tus concessus. Tum Achab verbis Dei à  
 propheta increpitus, *cur abusus divino mu-  
 nere, hosti sibi tradito pepercisset.* Igitur  
 Syrus post triennium, bellum Hebræis in-

Achabi  
 de Syris  
 victoria.

*Actis deinde obsessorum rebus*) Scripsisse puto Aucto-  
 rem *actis*, ut supra c. 23. 2. & infr. II. 16. 1. Ita Curtius  
 III. 1. 8. *omnia sibi in dies arctiora viderunt esse.* Tac.  
 Hist. III. 69. Alii.

*Dat belli conditiones*) Dat belli leges, modum. Alii  
 dicunt *ferre conditiones.* Utrique ex adverso respondet  
*accipere conditiones.*

*Et fœminas tradidissent*) Uxores & filios. 1. Reg. XX. 5.

*Extrema perpeti*) Mala maxima quævis, etiam pericula  
 mortis. Sallust. B. Cat. c. 26. *Constituit extrema omnia*  
*experiri.*

5. Syrus) Rex Syrorum, Benhadad.

*Eo prælio CXX. millia*) In fontibus est *centum millia*  
*duntaxat.* Muri verò Urbis Aphec, in quam fusi hostes  
 confugerant XXVII. millia Syrorum ruina oppræsserunt  
 1. Reg. XX.

6. *Verbis Dei increpitus*) Jussu Dei increpitus.

*Syrus bellum Hebræis intulit*) Non Syrus Hebræis, sed  
 Achabus Syris bellum intulit.

tulit. Adversum hunc Achab, pseudoprophetarum impulsu, in prælium descendit, spreto Michæa propheta, & in vincula coniecto, quòd ei exitiabilem fore pugnam denunciasset. Ita eo prælio Achab interfectus, Ochoziæ filio imperium reliquit.

1 Is æger corpore, cùm ex ministris, qui idolum pro salute ejus consulerent, misisset: Helias à Deo monitus, obviam se eis obtulit, increpitosque renunciare regi jubet, *mortem ejus consequuturam*. Tum rex comprehendi eum, ac deduci ad se jubet: sed missi, cœlesti igne absumpti. Rex, ut propheta prædixerat, obiit. Successit autem Joram ei frater ejus: isque duodecim annis imperio potitus est. At in parte duarum tribuum Josaphat rege defuncto, Joram filius regnum tenuit annos duo deviginti. Is Achab filiam uxorem habuit, socero quàm patri propior.

2 Post hunc Ochozias filius imperium adeptus

1. Reg. 22.

Cap. XLV.  
2. Reg. 1.  
Achazias  
Rex Isr.

Joram  
Rex Isr.  
Joram Rex  
Judæ.

Achazias  
Rex Judæ.

*Pseudoprophetarum impulsu*) Qui numero erant circiter quadringenti. 1. Reg. XXII. 6.

*Spreto Michæa*) Micha. 1. Reg. XXII. 8. Est hic alius & diversus à Michea, qui inter minores Prophetas sextus.

*Ochoziæ*) Ahafia. Ib. v. 40.

Cap. XLV. 1. *Is æger corpore*) Ex casu quodam, de quo 2. Reg. 1: 2,

*Qui idolum*) Numen Ecronitarum, Beel-zebub, sive Baal-zebub, quod latine sonat *Jupiter musca*.

2. *Sed missi*) Πεντηκόνταρχος, h. e. quinquaginta militum præfecti, semicenturiones, cum militibus suis.

*Rex obiit*) Sine prole.

*Annos duodeviginti*) i. e. octodecim. Sed octo tantum regnavit, ut 2. Chron. XXI. 5 legitur.

3. *Ochozias.*) Alias Ahafia. 2. Chron. XXII. 1.

Elifeus  
 Proph.  
 2. Reg. 2.  
 & seqq.

est. Hoc regnante Helias translatus refer-  
 tur. Eodem tempore Elifeus discipulus  
 ejus, multis signis potens extitit: quæ omnia  
 notiora sunt, quàm ut nostro stylo egeant.  
 Ab eo est viduæ filius resuscitatus, Syrus 4  
 leprâ purgatus. Famis tempore, omnium  
 rerum copia fugatis hostibus invecta; in  
 usum trium exercituum aquæ præbitæ: de  
 exiguo olei immodicis incrementis solutum  
 mulieris debitum, & ipsi sufficiens vivendi  
 substantia data. Hujus temporibus, ut dixi- 5  
 mus, Ochozias duarum tribuum erat rex:  
 decem verò Joram, ut supra retulimus, im-  
 perabat. Interque eos foedus ictum. Nam  
 & adversus Syros junctis viribus bellatum:  
 & adversum Jehu, qui per prophetam in  
 regem decem tribuum unctus fuerat, pariter  
 in prælium egressi, eadem pugna interi-  
 ere.

*Helias translatus*) In cælum, non in hortum Eden tantum, uti quidam fingunt. Eadem phrasi usus est de Enocho cap. 2: 5. Voce autem *translatus* alludere videtur ad vocem græcam *μετερέθη*, qua Paulus in Epist. ad Hebræos usus est. c. XI. 5.

*Multis signis potens*) Multis miraculis. Ut supr. c. 14. 2. Sedecim ejus miracula recensentur, cum Elias octo tantum ediderit. Quo accommodant duplum, quo præditus fuit, spiritum Eliæ. Quem tamen locum alii aliter enarrant.

4. *Viduæ*) Sunamitidis.

*Syrus*) Princeps exercitus Regis Syriæ, Naaman.

*In usum trium exercituum*) Israëlitis, Judæ & Edomitarum. 2. Reg. III 16.

*Sufficiens vivendi substantia*) Facultates sufficientes, bona. Ut supra c. 7: 6. & c. 8: 2.

5. *Ochozias*) Filius Joram.

*Adversus Syros*) Hazaël regem Syriæ.

*Eadem pugna interi-ere*) Non eodem loco & tempore. vide 2. Reg. IX. Nam casu Joram Rege Israëlitarum, Ochozias fugit & latuit Samariæ, 2. Chron. XXII. 9. ubi deprehensum & ad se adductum Jehu obtruncavit.

1 Sed regnum Joram Jehu tenuit. Posito <sup>Cap. XLVI.</sup>  
 Ochozia in Judæa rege, qui uno anno <sup>2. Reg. 9.</sup>  
 gnavit, mater ejus Gotholia imperium oc- <sup>Jehu</sup>  
 cupavit, adempto nepoti imperio, etiam <sup>Rex Isr.</sup>  
 tum parvo puero, cui Joas nomen fuit. Sed  
 huic ab avia præreptum imperium, post octo <sup>2. Reg. 11.</sup>  
 ferè annos, per sacerdotem & populum de- <sup>Joas Rex</sup>  
 pulsa avia redditum. Hic initio regni ob- <sup>Judæ.</sup>  
 2 servantissimus divini cultus fuit, magnisque  
 sumptibus templum exornavit. Post adu-  
 latione principum depravatus, adoratusque  
 ab eis, Dei iram meruit. Namque ei Azahel

Cap. XLVI. §. 1. Jehu tenuit ) Annis viginti octo.  
 Posito Ochozia ) In monumento scil. Majorum. 2. Reg.  
 IX. 28. Posito igitur scripsisse videtur pro composito, id est  
 sepulto. Sanè poni pro sepeliri sumitur Johan. XI. 34. Com-  
 poni autem pro sepeliri non planè infrequens est. Tacit-  
 us Histor. lib. I. c. 47. Pisonem Verania uxor ac frater  
 Scribonianus composuere. Horat. Satyr. lib. I. Sat. 9.

Est tibi mater?

Cognati? quis te salvo est opus? Haud mihi quisquam.  
 Omnes composui. vide sis Virdung. ad Tacit. in vita  
 Agric. cap. 45.

Gotholia ) Athalia. Hujus cruentas manus evasit Joas  
 à Josaba sorore Ochoziæ occultatus. 2. Reg. XI. 2.

Post octo fere annos ) Imo verò post sex annos, ita enim  
 diferte habent origines, 2. Reg. XI. 3.

Per sacerdotem ) Joadam, Pontificem summum.

Depulsa avia ) Et interfecta.

2. Hic initio regni ) Quoad Jojada sacerdos superstes  
 fuit. 2. Reg. XII.

Adoratusque ab eis ] Appositè usus est verbo adorare,  
 pro incurvare se, abjectæ venerationis gestibus colere &  
 captare aliquem. 2. Chron XXIV. 17. Nam adorare alium  
 etiam dicuntur illi, qui eum quovis modo vel gestu vene-  
 rantur: quemadmodum & Græci suo προσκυνεῖν usi le-  
 guntur. vide supra c. 12. 2. Principum autem Judæ adu-  
 latione corruptus Joas à pietate defecit.

Azahel Rex Syriæ ) Hic regnum Syriæ invasit stran-  
 gulato Benhadad

rex Syriæ bellum intulit : inclinatisque rebus suis, auro templi pacem redemit. Nec tamen ea potitus est, facti invidia à suis interfectus, anno imperii quadragesimo.

Amasias Rex  
Jud. 2. Reg.  
13. Joachas  
Rex Isr.

Huic Amassia filius successit. At in parte 3  
decem tribuum defuncto Jehu, Joachas filius  
ejus regnavit, invisus Deo, malis operibus,  
ob quæ regnum ejus Syris prædæ fuit, donec  
Dei misericordia depulsis hostibus, pristinum  
habere statum cœperunt. Joachas diem 4  
functus, Johæ filio reliquit regnum. Is  
Amassia regi duarum tribuum civile bellum  
intulit, victoriâque potitus, multam præ-  
dam in regnum suum convertit. Idque ob  
Amassia delictum accidisse traditur. Siqui-

2. Reg. 14.  
2. Par. 23.

2. Par. 25.

*Inclinatisque rebus suis*) Afflictis rebus suis, in miserum statum adductis. *Inclinata res* dicitur, quando ruinam minatur. Eadem venustate verbum hoc transfertur ad res bellicas, & *inclinata acies, inclinata victoria, inclinata copie* dicuntur, quæ jam fugam spectant. Ita Sallust. Orat. 2. de Rep. ordin. *inclinatam Rempublicam* vocat, quæ ob corrupta per gratiam, timorem, voluptatem, vera consilia, agitari, labi & cadere incipit.

*Facti invidia*) Facti odio. Odium fortè atque invidiam non levem contraxit, quod auro templi pacem ab hostibus redemit, majorem tamen, quod Zachariam filium Jojadæ, optimè de se & Republica meriti, interfecit. 2. Chron. XXIV. 25.

*A suis interfectus*) A servis suis, sive aulicis.

*Interfectus*) Et sepultus in civitate David, non in Regum sepulchris. Aliquis ergo illi honos habitus, non summus, quia suprema pars vitæ à recto declinaverat.

3. *Defuncto Jehu*) Ex familia Jehu quatuor regnarunt Joachas, Joas, Hieroboam & Zacharias.

4. *Diem functus*) De hac phrasi vide supra c. 7: 7.

*Joæ filio*) Johas, Johæ, ut Judas, Judæ; Thomas, Thomæ. Joas regnavit 16. annis. 2. Reg. XIII. 10.

*Bellum intulit*) Non Joas Amassia bellum intulit, sed illatum excepit. 2. Reg. XIV. 11.

*Victoriaque potitus*) Ipso etiam Amasia capto,

dem Idumæorum fines victor ingressus,  
 5 idola gentis ejus assumpserat. Hic novem  
 annos regnasse scribitur, quantum in libris  
 Regnorum reperi. Sed in Paralipomenis,  
 atque etiam in Chronicis, novem & viginti  
 annos imperium tenuisse annotatum est.  
 Et nimirum id persuadente ratione, quæ in  
 his Regnorum libris facile perspicitur potest.

Joram enim rex decem tribuum, octavo an- Joram Rex  
Isr.  
 no imperii Amassiæ traditur regnare cœpisse,  
 unumque & quadraginta annos imperium  
 tenuisse. Regnante demum Ozia Amassiæ fi-  
 lio, quarto imperii ejus anno defunctus est.

6 Qua ratione viginti & novem annos regi  
 Amassiæ effecit. Itaque nos hoc ipsum se-  
 cuti, quia rationem temporum persequi pla-  
 cet, Chronicorum auctoritati accessimus.

1 Igitur Amassiæ Ozia filius successit. Nam  
 in parte decem tribuum Joas diem functus,  
 Joram filio locum fecerat: postque hunc  
 2 Zacharias ejus filius regnavit. Horum nos  
 regum, omniumque, qui in parte decem tri-

Cap. XLVII.  
 2. Reg. 15.  
 Ozias Rex  
 Jud. Zacharias  
 Rex Isr.

5. Quantum in libris Regnorum reperi ) Corrupto ex-  
 emplari usus fuisse Sulpicius videtur. Nam 2. Reg. XIV.  
 2. æquè ac 2. Chron. XXV. 2. disertè legitur, Amaziam  
 viginti novem annos regnasse.

Etiam in Chronicis ) Chronica intelligit Eusebii, vel  
 alius Auctoris non Sacri.

Joram enim ) Lege Jeroboam- 2. Reg. XIV. 23.

Octavo anno imperii ) Imò decimo quinto, loco cit.

Regnante demum Ozia ) Hic Ozias seu Uzias etiam  
 Azarias vocatur. 2. Reg. XV. 8. Eo regnante Hosea pro-  
 pheta vaticinari cœpit.

Cap. XLVII. 1. Joram filio locum fecerat ) Morte  
 scilicet. Qua notione phrasin sæpe numero usurpavit.

2. Horum nos regum ) Duplex Sulpicius ratio impulit  
 omittendi Chronologiam Regum Israël; tum vitandas  
 prolixitatis: tum quia serie Regum Judæ longius pro-  
 ducitur.

buum Samariæ præfuerunt, annotanda esse tempora non putavimus: quia brevitati studentes, superflua omisimus, & ad cognitionem temporum ejus potissimum partis annos credimus persequendos, quæ in captivitatem posterius abducta, prolixius tempus in regno habuit. Igitur Ozias regnum Judæ adeptus, præcipuam curam Domini cognoscendi habuit, Zacharia propheta plurimum usus. Esajas etiam sub hoc primùm prophetasse traditur: quo merito prosperis eventibus adversus finitimos bella gessit. Arabas etiam devicit. Jamque Ægyptum terrore nominis sui concusserat, elatusque secundis rebus, illicita præsumens, incensum Deo obtulit: quod solis facere sacerdotibus fas erat. Itaque cum per Azariam sacerdotem increpitus eo loco decedere cogeretur,

*Ejus potissimum partis*) Regni Judæ.

3. *Quo merito*) Quam ab causam. Quod Esajas sub Ozia vaticinatus est, eo merito Oziam prosperis eventibus adversus finitimos bella gessisse scribit. Ubi vox *meritum* non vulgarem significationem obtinet, sed novam. Sic supra cap. 12: 7. dixit, *Benedictionis merito majori minorem præposuit*. Et cap. 23. 3. *Merito fidei noctem avertit*. Apparet vocem in his *causam efficientem*, quam vocant, significare, & cum alibi ipse casus ablativus vim causæ efficientis involvat, in his quasi per pleonasmum vox *meritò* adjicitur.

*Adversus finitimos*) Philistæos.

4. *Illicita præsumens*) Illicita audens. *Præsumere pro audere* vel *occipere* non est antiquioris ævi. Antiquioribus *præsumere* idem fuit, quod *antecapere*. vide supra c. 33. 4.

*Incensum Deo obtulit*) Offerre incensum voluit. Nam quò minus offerret, impedivit lepra Θεήλατ. 2. Chron. XXVI. 19. Sic supra c. 30. 5. *fugam parabant Allophylis*, pro, parare volebant, vel de fuga cogitabant. Nam verba quandoque conatum duntaxat designant.

atque in iram exarsisset, lepra oppletus decessit. Quo morbo affectus, vita functus

2. Reg. 15.

5 est, quum regnasset annos duos & quinquaginta. Regnum inde Joathæ filio datum: Isque admodum sanctus fuisse traditur, prospereque imperium administravit: gentem Ammonitarum bello victam stipendium præstare coëgit. Regnavit autem annis XVI. Eidemque Achaz filius successit.

Jotham Rex Jud.

Achaz Rex Jud.

1 Celebris circa hæc tempora Ninivitarum fides traditur. Id oppidum olim ab Assur, Seon filio, conditum, caput regni Assyriorum fuit: frequens tum incolentium multitudine, alens virorum millia C & XX: atque, ut in magno populo, abundans vitis. Queis Deus motus, Jonam prophetam ex Judæa ire

C. XLVIII.  
Jon. 1. & seqq.

*Lepra oppletus*) Quæ maledicentiæ & superbiæ pœna Num XII.

*Lepra oppletus decessit.*) Non é vita, sed é templo tantum.

5. *Joathæ filio*) Est is Jotham, quem Græci Interpretes, inserto α. Ιωάθου vocant.

*Admodum sanctus*) Pius, ὁσῖος.

*Stipendium præstare*) Tributum, quod erat 100. talenta argenti: 10000. cororum tritici & totidem hordei.

Cap. XLVIII. 1. *Ninivitarum*) Urbs Ninive à Cyaxare & Nebucadnezare aliquandiu post excisa, nunquam tota refloruit. Hodie aded ex hominum memoria evanuit, ut ne situs quidem ejus notus sit.

*Ab Assur, Seon filio, conditum*) Drusius non dubitat, legendum esse, *Sem filio*: quoniam Assur filius Semi fuerit, Geaes. X. 22. Ninivenque condiderit, Genes. X. 11.

*Frequens incolentium multitudine*) Fuit enim admirandæ magnitudinis, incircuitu patens itinere tridui, Babylone multo major.

*Alens virorum millia c & xx.*) Non virorum, sed minorenium, qui non poterant discernere inter dextram & sinistram, hoc est, plane puerorum. Jon. IV. 11.

præcepit, ac denunciare urbi excidium, sicut olim Sodoma & Gomorrhæ divinis ignibus conflagrassent. Verum propheta prædicationis istius ministerium detrectans, non contumacia, sed præscientia, qua videbat Dominum pœnitentia populi placandum, navim, quæ longe diversa regione Tharfos petebat, conscendit. Sed, ubi in altum processum, nautæ sævitia maris compulsi, quisnam esset mali causa, forte exploravere. Cum super Jonam fors decidisset, tamquam piaculum tempestatis, in profundum projectus est: exceptusque à ceto, marino monstro, ac devoratus, post triduum fere Ninivitarum littoribus ejectus, jussa prædicat, *urbem scilicet, ob peccata populi triduo*

Jonas.

2. *Sicut olim Sodoma*) Hoc de suo adjecit, & ex ingenio, non è S. literis promisit.

3. *Prædicationis ministerium*) Denuntiationis ministerium. *Prædicatio* propriè præconis est, *der etwas offentlich außsprucht oder ankündt.* conf. supra c. 48: 3.

*Dominum placandum*) Placatum iri. vide supr. c. 6. 1.

4. *Cum super Jonam fors decidisset*) Phrasis ista hebraicum sapit, legiturque in historia Jonæ c. I. 7. Eandem usurpavit etiam Lucas Act. I. 26.

*Tanquam piaculum*) Tanquam victima piacularis seu sacrificium expiatorium, *Einhn. Opfer.* Alio significato accipit hoc vocabulum I. 49: 5. lib. II. 5. 2.

*Exceptusque à ceto*) A magno aliquo pisce, quem *lamiam* fuisse nonnulli putant, qui tanto oris est rictu, ut totum hominem deglutiat.

*Post triduum ferè*) *Ferè πάλαι*, rursus, ut supra non semel.

*Ninivitarum littoribus*) Fontes sacri tantum habent ejectum fuisse *in aridam*, hoc est, in continentem, nulla facta mentione certi littoris. Neque in Ninivitarum littora sine novo miraculo ejici potuit à pisce, à quo in mari mediterraneo absorptus fuit.

*Triduo perituram*) At in Contextu sacro sunt dies quadraginta. Jonæ III. 4. Errorem hunc, ut plures aliæ

5 *perituram.* Igitur non dissimulanter, ut olim Sodomis, audita est vox Prophetæ: ac statim jussu regis, exemploque, populus universus, quin & recens nati, cibo potuque abstinere jubentur: jumenta itidem & diversi generis animalia compulsâ fame ac siti, lamentantium speciem cum hominibus præbebant. Ita imminens malum aversum.

6 *Jonæ apud Deum conquerenti, quod fides dictis non affuisset, responsum, pœnitentibus veniam negari non posse.*

1 At in Samaria Zachariam regem admodum impium, quem superius regnasse memoravimus, Sella quidam interemit, regnumque occupavit: idemque Manæ infidiis exemplo facti sui periit. Mane ereptum

CAP. XLIX.  
2. Reg. 15.  
Sellum & a-  
lii reges Isr.

haufit ex Interpretibus Græcis, qui habent, ἔτι τρεῖς ἡμέραι, ἐ Νινυῶν καταστροφῆσται.

5. *Non dissimulanter*) Non negligenter, non obiter. conf. supra c. 13. 3. & lib. II. 1. 4.

*Ut olim Sodomis*) Qui risu & contemptu prænuntios cladis suæ exceperunt. Genes. XIX. 14.

*Jussu Regis*) Hunc Regem Pulem, Sardanapali patrem, fuisse putat Heideggerus noster in Enchir. Bibl. p. 335.

*Cibo potuque abstinere*) Tria sunt, quæ in luctu & dolore magno, aut in peccati pœnitentia, antiquitus fecere Hebræi, atque Hebræorum exemplo cæteri, qui aliquam Dei notitiam habuere. Vestimenta sua sciderunt, atque iis abjectis saccum induerunt, jejunio se macerarunt, & capita sua cinere & pulvere consperserunt. Genes. XXXVII. 34. 2. Sam. I. 11, 12.

6. *Imminens malum aversum*) Ad tempus. Nam eversio Ninives sub alio Rege accidit, vide notas ad capitulis hujus § 1.

*Jonæ conquerenti*) Jonæ c. IV. 2.

*Quod fides dictis non affuisset*) Quod dicta sua complimentum non habuissent. vide supra c. 43. 5.

Cap. XLIX. 1. *Sella quidam*) Alias Sallum dictus.

*Manæ*) Menahem.

*Mane infidiis exemplo facti sui periit.*) Quod evenit

Salmanasser.

Sellæ imperium tenuit, filioque Pache reliquit. Eundem verò Pache quidam ejusdem nominis interemit, regnumque occupavit. Mox ab Osee peremptus, eodem scelere, quo assumpserat, imperium amisit. Hic ultra omnes reges superiores impius, 3  
pœnam sibi, perpetuamque genti captivitatem à Deo meruit. Namque ei Salmanasser rex Assyriorum intulit bellum, victumque tributarium sibi effecit. Sed cum occultis consiliis rebellionem pararet, regemque Æthiopum, qui tum Ægyptum obtinebat, in auxilium accerferet, idque Salmanasser comperisset, perpetuis eum vinculis in carcerem conjecit, urbemque excidit, 4  
populum universum in regnum suum abdu-

olim Zambri, ut regnum Elæ per vim ereptum, septem tantum dies tenuerit, idem quoque Sellæ contigit, qui uno mense regnavit. Nam Menahem nomine Regis sui Zachariæ Thirzam obsidens, audita cæde ejus Sallum quoque sustulit, & imperium rapuit,

2. *Filioque Pache*) Pekahia 2. Reg. XV. 24.

*Pache quidam ejusdem nominis*) Vocatur Pekah 2. Reg. XV. 27. Non ergo ejusdem nominis fuit, sed cognati seu affinis. Hic Pekah regnavit annis 20. Sub hoc Tiglat Pileser, Rex Assyrius, magnam partem populi transtulit in Assyriam 2. Reg. XV. 27. & seq.

*Mox ab Osee*) Ab Hosea, filio Elæ. 2. Reg. XVII. 1.

3. *Hic ultra omnes impius*) Malus quidem atque impius Rex fuit Hosea, non tamen pejor superioribus, ut diferte scriptum est. 2. Reg. XVII. 2.

4. *Regemque Æthiopum*) Is 2. Reg. XVII. 4. tantum Rex Ægypti vocatur, cui quidem So nomen fuerit.

*In carcerem conjecit*) Anno VII Holoæ obsedit Salmanasar Samariam, & triennio post eam cepit. Hic finis fuit Regni Israëliti, cum stetisset annos CCLVI.

*Urbemque excidit*) Cepit modò, non excidit penitus urbem. 2. Reg. XVII. 6. Nam habitandam Assyriis illam tradidit.

*Populum universum in regnum suum abduxit.*) In Assy-

xit, Assyriis in hostili solo ad custodiam  
positis, exinde ea pars Samaria appellata :  
quod linguâ Assyriorum custodes Samaritas  
vöcant, ex quibus plerique divinas ceremo-  
nias receperunt, reliquis in errore gentili-  
tatis perseverantibus, Hoc bello Tobias in Tobias.  
captivitatem ductus est. At in parte dua-

riam, 2. Reg. XVII. 6. Unde redire in patriam nunquam  
deinceps illis licuit.

*Exinde ea pars Samaria appellata*) Non exinde, sed  
ab urbe ejus nominis ipsa regio ita appellata fuit; urbs  
verò à monte ita vocitata; mons denique à *Semer* quo-  
dam sic dictus fuit.

*Quod lingua Assyriorum custodes Samaritas vocant*)  
Et hoc falsum. Nam *Samar* verbum non Assyrium sed  
Hebraicum est.

*Ex quibus plerique*) Discernit hos, qui ex Assyria in  
Palæstinam venerunt, in duas classes; quasi ex illis alii  
divinas ceremonias receperint, alii in errore gentilitatis  
perseverarint. Sed aliter S. Fontes habent, qui quidem,  
nullo facto discrimine, prodiderunt; eos ipsos, qui divi-  
nas ceremonias receperunt, in errore gentilitatis perse-  
verasse. Nam & Jehovah & simul deos gentium sua-  
rum coluerunt. 2. Reg. XVII. 33. 41. Ex qua religio-  
num mixtura Samaritanismus natus est: Constabat au-  
tem Samaritanismus partim ex gentilibus eò translatis  
à rege Assyriæ; partim ex Judæorum reliquiis ibi restan-  
tibus.

*Divinas ceremonias*) Lege Moïsi præceptas. Voca-  
bulo *ceremoniarum* universam religionem cultumque  
divinum τῶν εἰσῶ notare solemus.

*In errore gentilitatis*) In idololatria gentilium: *Gen-  
tilitatis* vocabulo ipsum gentilium errorem de idolis  
suis colendis notavit; sicut *gentiles* ei dicuntur, qui ido-  
la colunt & veri cultus divini expertes sunt. Aliàs *gen-  
tilitas* propriè notat ὁμογενεῖαν, cognationem, Freund-  
schafft: & *gentilis* eum qui ex eadem ortus est gente sive  
familia.

*In errore gentilitatis perseverantibus*) Tandem tamen  
paulò ante tempora Alexandri Magni, cultu idolorum  
repudiato, Pentateuchum receperunt, variis tamen in-  
ter se sectis distincti.

Achas  
Rex Jud.

rum tribuum rex Achas ob impietatem in-  
visus Deo, cùm finitimorum bellis sæpe  
premeretur, deos gentium colere decrevit,  
nimirum quia eorum illæ auxilio victores  
frequentibus præliis extitissent. Ita in hoc  
nefarix mentis piaculo diem functus est,  
cùm XVI annis in regno fuisset.

Cap. L.  
2. Reg. 18.  
Ezechias  
Rex Jud.

2. Chron. 29.

Huic Ezechias filius successit, multum  
paterni dissimilis ingenii. Namque initio  
regni, populum sacerdotesque ad Dei cul-  
tum cohortatus, multis differuit, *ut fre-  
quenter castigati à Domino, sæpius essent mi-  
sericordiam consequuti; ut postremum de-  
cem tribus, in captivitatem nuper abductæ,  
sacrilegii pœnas dissolverent: curandum eis  
sedulò, ne eadem pati mereantur.* Ita con-  
versis ad religionem omnium animis,  
Levitas Sacerdotesque omnes ad celebra-  
nda secundùm legem sacrificia ordinavit: ce-

2. Chron. 30.

5. Cùm finitimorum bellis ) Syrorum & Israëlitarum  
primò, deinde Idumæorum & Palæstinorum.

Deos gentium colere ) Molochum, 2. Reg. XVI. 3.  
Baalim & Deos Damasci, 2. Chron. XXVIII. 2, 23. Per  
gentes autem intelligit populos ad Rempubl. Israëlitarum  
non pertinentes, qui veri cultus divini expertes erant &  
simulacra colebant. Hos gentiles alibi appellare solet &  
ethnicos. vide supra c. 1: 4.

Eorum illæ ) Gentes videl.

In hoc piaculo ) In hoc crimine, peccato.

Cap. L. 1. Ut decem tribus in captivitatem abductæ)  
Hæc dicere illo tempore non potuit Ezechias. Siquidem  
oratio hæc habita fuit anno regni ejus primo: Tribus au-  
tem abductæ sunt anno demum ejus septimo.

Sacrilegii pœnas ) Idololatriæ; ut supra c. 19. 6. & c.  
43. 6.

Pœnas dissolverent ) Pœnas solverent. Composito  
verbo usus est pro simplici. Supra c. 11. 6. Absolvere  
dixit pro solvere. Plin. II. ep. 12: 6. dixit etiam fidem  
exsolvere pro solvere.

lebrarique Pascha instituit, quod jam pri-  
 dem fuerat omiffum. Cumque dies festus  
 adefset, dimiffis per omnem terram nunti-  
 is, conventus diem edixit: ut, si qui post ab-  
 ductionem decem tribuum in Samaria rese-  
 diffent, ad solemne sacrum convenirent. Ita  
 frequentissimo conventu dies facer publica  
 lætitia exactus; longo post intervallo reli-  
 gione legitima per Ezechiam restituta. Pari  
 deinde industria, qua divina curaverat, rem  
 bellicam administravit, Allophylosque fre-  
 quentibus præliis contudit: donec ei Sen-  
 nacherib rex Assyriorum bellum intulit,  
 magno cum exercitu fines ejus ingressus:  
 lateque agris vastatis, nullo obsistente, urbis  
 obsidionem urgebat. Ezechias enim mul-  
 titudine inferior, non ausus manum conse-

2. Reg. 1.  
 2. Chron. 31.  
 Sennache-  
 rib.  
 Esa. 36.

3. Per omnem terram) Israël & Juda.

Diem edixit) Indixit.

Si qui post abductionem decem tribuum) Ab eodem er-  
 rore hoc edictum finxit Sulpicius, quo illa verba superi-  
 ora §. 2. de abductione decem tribuum. Misit enim Eze-  
 chias legatos ad tribus nondum abductas.

Dies exactus) Dies transactus. Ita dicimus, exigere  
 horas, tempus, ætatem, &c. Plin. III. ep. 1. Nescio, an ul-  
 lum jucundius tempus exegerim, quàm &c. IV. ep. 5.  
 Magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo.

Religione per Ezechiam restituta) 2. Chron. XXXI.  
 2. Reg. XVIII. Duo imprimis maxima opera pro religio-  
 ne fecit. Quod lucis excisis, excelsa, prioribus Regibus  
 sc̄re intacta, sustulit; & ipsum serpentem æneum, a Mo-  
 se factum, comminuit.

4. Urbis obsidionem) Hierosolymæ, quam κατ' ἐξοχήν  
 urbem appellat, ut Latini Romam.

Multitudine inferior) Non tantis copiis instructus.  
 Sic C. Nepos, Inferior copiis, DC superior. &c.

Manum conferere) Prælium committere. vide su-  
 pra c. 36. 2.

rere, muris se tuebatur. Rex Assyrius portis assaultans, minitari excidium, deditio-  
nem imperare; Ezechiam frustra Deo con-  
fidere, se Dei nutu potius arma suppressisse;  
victorem omnium gentium, eversorem Samariae, effugi non posse, ni matura deditio-  
ne sibi met consulissent. In hoc rerum statu E-  
zechias Deo fretus, Esajam prophetam con-  
sultit: ejusque responso edocetur, nihil ex  
hoste periculi fore, divinum autem auxilium  
non defuturum. Nec multo post Tirhac  
rex Æthiopum regnum Assyriorum in-  
vadit.

Esa. 37.

2. Reg. 19.

Cap. LI.

Quo nuncio Sennacherib ad sua tuenda  
conversus, fremens & clamitans, victori  
sibi victoriam eripi, bellum omisit: missis  
ad Ezechiam litteris, cum verborum contumeliis denuntiatis, se paulo post rebus domi  
compositis ad excidium Judæe mature re-  
diturum. Sed nihil his Ezechias motus,  
orasse Dominum traditur, ne hanc tantam  
hominis insolentiam inultam fineret. Ita eadem nocte angelus castra Assyriorum ag-

5. Rex Assyrius portis assaultans ) Hoc fecit per duces suos, in quibus erat Rabfaces, quos Hierosolymam cum valido exercitu miserat, dum ipse Lachis obsideret. Historia refertur 2. Reg. XVIII. 17.

Arma suppressisse ) Legendum sine dubio, arma sumpsisse, censente Sigonio; vel corripuisse.

Cap. LI. 1. Rebus domi compositis ) Tranquillatis, firmatis. vide supra c. 12. 1.

Missis ad Ezechiam litteris ) De quibus Esai. XXXVII. 9, 14. 2. Chron XXXII. 17.

2. Ita eadem nocte ) Incertum omnino, an eadem nocte, quæ diem illum excepit, quo Ezechias preces ad Deum fudit, hoc contigerit. Nam ex Esai. XXVII. 9. & seq. colligitur, Sennacheribum, audito adventu Tirha-

gressus, multa hominum millia letho dedit. Rex trepidus in oppidum Niniven confugit, ibique à filiis interfectus, dignum se exitium tulit. Per idem tempus Ezechias, <sup>2. Reg. 20.</sup> æger corpore, morbo incubuerat. Cumque <sup>Eesai. 38.</sup> Elajas ei verbum Domini annunciaffet, *vita ejus finem adesse*: fesse rex traditur. Ita xv annos prorogari sibi ad vitam meruit. Quibus peractis, nono & vigesimo imperii anno decessit: regnum Manasse filio reliquit. <sup>Manasse Rex Jud. 2. Reg. 21.</sup> Is à parte multum degenerans, relicto Domino, culturas impias exercuit: ob quod

kæ, obsidionem Hierosolymitanam solvisse, exacto biennio, post debellatos Æthiopus & Egyptios, majori cum furore rediisse, & tum demum cladem hanc exercitui ejus immissam fuisse.

*Multa hominum millia*) Centum octoginta quinque millia. 2. Reg. XIX. 35.

*A filiis interfectus*) A filiis duobus Adramelech & Sarsar in templo idoli sui Nifroch.

*Exitium tulit*) Reportavit, habuit. Ita dicunt, *ferre præmium, ferre pietatis fructum* &c. pro accipere, adipisci.

*Morbo incubuerat*) Lethali illi, 2. Reg. XX. 1. Sic & infra lib. II. 22. 6. *Antiochus ex mærore animi, corporis morbo incubuit.*

*Fesse Rex traditur*) Tum quia Juvenis XXXIX. annorum, tum quia ἀτεχνος. Nam Manasses necdum genitus, sed demum anno ab hinc tertio.

*Prorogari sibi ad vitam meruit*) Impetravit, consecutus est, ut 15. anni ad vitam sibi prorogarentur. *Mereri* veteribus non semper significat ἀξιῶν sive dignum esse, sed τυγχάνειν etiam simpliciter, factumque notat, non jus. Celebre est illud Gregorii; *ô felix culpa, quæ tantum meruit habere redemptorem.* Quod in Patrum scriptis rectè accipiendis magnum usum habet adversus corruptores sinistrosque Interpretes. Confer Casaub. ad lib. 1. Plinii ep. 8.

*Nono et vicesimo imperii anno*) Verum id 2. Reg. XVIII. 2. si biennium illud, quo cum patre Achazo regnavit, includas. Solus non nisi XXVII. annos.

*Culturas impias exercuit*) Coluit idola; quam impietatem *sacrilegium* vocare solet.

2. Reg. 22.  
Amon,  
Rex Jud.

in potestatem Assyriorum traditus, male coactus agnovit errorem: populumque adhortatus est, *uti relictis idolis Dominum colerent*. Nihil sane dignum memoriâ gessit: regnavit autem annos V & L. Amon deinde filius ejus regnum adeptus est, nec ultra biennium eo potitus est: paternæ impietatis hæres, Domini negligens, suorum insidiis circumventus periit.

Cap. LII. Ad Josiam filium imperium devolutum. I  
2. Reg. 22. Is admodum religiosus fuisse traditur, sum-  
Johas,  
Rex Jud. maque curâ divina administrasse, Helchia  
2. Reg. 23. sacerdote usus bene. Is cùm in templo li- 2  
brum verbi Dei scriptum, repertum à sacer-  
dote legisset, quo continebatur, *Hebræam*  
*gentem ob crebras impietates & sacrilegia*  
*delendam*, piis ad Deum precibus fletuque  
jugi imminentem cladem avertit. Quod 3  
ubi indultum sibi per Ollam prophetissam  
comperit, majore cura, utpote obligatus di-  
vinis beneficiis, cultum Dei exercuit. Igitur  
vasa omnia, anteriorum regum superstitionibus  
idolis consecrata, cremavit. Nam-

*In potestatem Assyriorum*) Qui eum vinctum duxerunt Babylonem. 2. Chron. XXXIII. 11.

Cap. LII. 1. *Helchia sacerdote*) Fuit hic Hilchia sacerdos summus.

*Sacerdote usus bene*) Bene se & clementer erga Hilchiam gessit. Ut Cicero dicit, *uti aliquo familiariter*; ita Noster, *uti aliquo bene*, quod est, ita vivere cum aliquo, ut eum amicum benevolumque habeas.

2. *Librum verbi Dei*) Librum Legis.

*Delendam*) Deletum iri. Ita scribit pro solenni suo.

*Hebræam gentem*) Locus est Deut. XXVIII. 38. In quem, Deo ita disponente, incidit.

*Per Ollam*) Huldam.

3. *Anteriorum regum*) Superiorum, præcedentium

que eo profani ritus invaluerant, ut soli ac lunæ divinos honores darent, eisdemque etiam ex metallis sacraria ædificarent. Quibus Josias in pulverem redactis, sacerdotes quoque profanarum ædium interfecit. Sed ne sepulchris quidem impiorum pepercit: quod olim prædictum à propheta, impletum animadversum est. Hujus octavo & 2. Par. 35. decimo imperii anno, Pascha celebratum, Post triennium fere, adversus Nechao regem Ægypti, qui bellum Assyriis inferebat, in prælium egressus, priusquam inter se acies concurrerent, sagittâ ictus est. Exque eo vulnere in urbem relatus, decessit, cum regnasset annos I & XX.

I Joachas inde filius ejus regnum adeptus Cap. LIII. tribus mensibus tenuit, captivitati ob impie?

*Sacraria ædificarent*) Videtur intelligere altaria & excelsa, de quibus 1. Reg. XIII. 2. 2. Reg. XXIII. 4. & seq. Supra altare ab Elia exstructum *Sacrarium* vocavit c. 43. 8.

4. *Ne sepulchris quidem*) Qui in monte prope Bethel erant. 2. Reg. XXIII. 16.

*Quod prædictum à propheta*) A propheta quodam ex tribu Juda. 1. Reg. XIII. 2.

5. *Post triennium fere*) Imò post annos tredecim à celebrato paschate. 2. Chron XXXV. 19. seq. collato cum c. XXXIV. 1.

*Adversus Nechao*) Pharao Necho. 2. Chron. XXIII. 29.

*Cum regnasset annos I & XX* Legendum, I & XXX. Ita enim legitur 2. Reg. XXII. 1.

Cap. LIII. 1. *Joachas inde*) Hic Joachas *Sallum* etiam dicitur, fuitque filius natu minor Josiæ. Jerem. XXII. 11.

*Regnum adeptus*) Opera & studio populi, 2. Reg. XXXIII. 30. qui hunc sibi creavit regem, ne Rex Ægypti regnum rege vacuum occuparet.

2. Reg. 2. 3.  
Joachas  
Rex Jud.

Jojakim  
Rex Jud.

tatem destinatus. Namque eum Nechao rex Ægypti vincitum, captumque duxit, Nec multo post in vinculis diem functus est. Judæis stipendium annuum imperatum: rex eis Eliachim arbitrio victoris datus, qui postea nomine immutato Joachis vocitatus est. Hic Joachæ fratris Josiæ F. fuit, fratri quam patri propior, sacrilegio invisus Deo. Igitur cum regi Ægyptio pareret, quippe cui tributum penderet, Nabuchodonosor rex Babylonius Judæam terram occupavit armis, & per triennium jure belli victor possedit. Etenim cedente jam rege Ægypti, determinatisque inter eos imperii finibus convenerat, Judæos ad Babylonem pertinere. Ita cum Joachis,

2. Reg. 24.  
Jechon.  
Rex Jud.

*Diem functus est*) Apud Ægyptios. 2. Reg. XXIII. 34.  
2. *Stipendium annuum*) Centum argenti talenta & unum auri.

*Rex eis Eliachim*) Frater hic fuit natu major Joachazi & filius Josiæ.

*Joachis vocitatus*) Est Joachis is, qui in sacris originibus Jojakim & Jehojakim dicitur. Cæterum nomen ei mutatum ab ipso Pharaone Necho: sicut Nebucadnezar mutavit nomina sociorum ejus. Mos iste perantiquus est.

*Hic Joachæ fratris Josiæ F. fuit.*) Legendum sine dubio, *Hic Joachæ frater, Josiæ filius fuit.*

*Fratri quam patri propior.*) Similior. Ita supra c. 45. *Socero quam patri propior foram.*

2. *Sacrilegio invisus Deo*) Idololatriâ odiosus. De vocabulo *invisus* vide supra c. 5: 3.

3. *Rex Babylonius Judæam terram occupavit*) Unâ cum terra sive regione Regem etiam subegit, qui propterea vocatur servus Nabuchodonosoris, triennii spatium. Nam post rebellavit.

*Determinatisque inter eos imperii finibus*) De hac re nihil extat in Sacris.

4. *Ita cum Joachis*) Lege iterum Jojakim.

exactis in regno annis undecim, filio ejusdem nominis locum fecisset, isque regis Babylonii in se iram concitasset, Deo nimirum agente, cui constitutum erat Judæam gentem captivitati & internecioni dare, Nabuchodonosor Hierosolymam cum exercitu ingressus, urbem murosque ac templum solo stravit: auri immensum modum, & sacra ornamenta vel publica vel privata, puberesque omnes virilis ac muliebris sexus transtulit: relictis, quorum imbecillitas aut ætas fastidio victoribus fuit.

f. Quæ turba, inutilis servitio, exercendis co-

*Filio ejus nominis*) Filio non idem planè nomen fuit, sed Jehojakin, Jechonias & Chonia. 2. Reg. XXIV. 6. Jerem. XXII. 24.

*Locum fecisset*) Morte scilicet,

*Deo nimirum agente*) Deo rem ita disponente.

*Nebucadnezar Hierosolymam ingressus*) Hoc admodum credibile, licet Scriptura disertè non exprimat, Quid enim vetat Joachin primum egressum esse ad Nabuchodonosor in castra extra urbem? Simul hæc vera esse possunt.

*Templum solo stravit,*) Fallitur Noster. Templum destructum est demum aliquot annis post sub Zedekia, Rege ultimo. 2. Reg XXV. Solo sternere dicit & infra lib. II. c. 21. 3. Alii solo æquare.

*Auri immensum modum*) Immensum copiam. Curt. V. 6. 8. *Ingens pecunia captivæ modus traditur.* vide eundem VI. 4. 21.

*Ornamenta vel publica vel privata*) Vel scripsit pro *ES*, sive *ctuntum*, aliorum exemplo.

*Quæ turba colendis agris deputata*) Destinata, ut lib. II. c. 7. 7. Deputare mediæ ætatis Scriptores pro destinare, delegare, assignare usurparunt. *Æl. Spartianus in vita Ælii Veri c. 3. Quia erat deputatus imperio.* Fl. Vopiscus in vita Carini, c. ultimo; *Et hæc quidem idcirco in literas retuli, quò futuros editores pudor tangeret, proscriptis legitimis heredibus, patrimonia mimis S balatrombus deputare &c.* At Ciceronis ævo idem fuit, quòd censere, Catoni idem quòd amputare.

2. Reg. 25.  
Sedechias  
Rex Jud.

lendisque agris, ne incultum esset solum, deputata. Eisdemque rex Sedechias prepositus: ademptis viribus inani tantum umbra regii nominis concessa. Sed Joachis tribus mensibus tempus imperii habuit. Is cum populo Babyloniam translatus, & in carcerem conjectus est: trigesimum post annum emissus, atque à rege in amicitiam receptus, mensaque & consiliis participatus, non sine solatio depulsæ calamitatis decessit.

Cap. LIV. Interea Sedechias rex turbæ inutilis quamquam sine viribus, infido ingenio, &

5. *Rex Sedekias*) Hic patruus erat Joachin, & prius *Mathanias* dicebatur, quod nomen ipse Nabuchodonosor postea mutavit, imposito ei Sedekiae nomine. 2. Reg. XXIV. 17.

*Inani tantum umbra regii nominis concessa*) Nepos diceret, *Rex nomine magis, quam imperio*. Vide hujus Agesilaum. c. I. 2.

*Sed Joachis*) Intelligit Joachinum, quem ejusdem cum patre nominis fuisse dixerat. §. 4.

6. *Is cum populo*) Cum matre, uxoribus, Eunuchis & dynastis Judææ. Hæc fuit *μετοικεσία* secunda Populi Judaici, à qua captivitatis annorum LXX. initium non nulli ducunt. De qua re infra II. 1. 1.

*Trigesimum post annum emissus*) Legendum *trigesimum septimum*, ut patet ex 2. Reg. XXV. 27.

*Atque à Rege*) Evilmerodach, loco cit. & Jerem. III. 31.

*Mensaque & consiliis participatus*) Mensæ & consiliis admotus. Sic etiam Plautus in Milite glor. *Participare aliquem sermone*. Et in Cistell. *Participare aliquem consilii*, pro *participem facere consilii*. Dicunt item *participare laudes cum aliquo*. Atque ita idem est quod *participem facere*; Sed est quoque idem quod *participem fieri*. Ut *participare parem pestem*. Quod infra lib. II. cap. 1. & alibi dicit *participare cibus*, id, quod ad constructionem attinet, paullo insolentius est.

Cap. LIV. 1. *Turbæ inutilis*) Tenuis, abjectæ, contentæ plebeculæ, ut supr. c. 53. 4.

- Dei immemor, qui non intelligeret captivitatem ob delicta gentis illatam, postremis denique malis debitus, regis animum offendit. Ita ei post novem annos Nabuchodonosor bellum intulit: compulsusque intra
- 2 muros confugere triennio obsedit. *Qua* Jeremias  
Proph. tempestate Jeremiam prophetam, qui jam sæpius imminere urbi captivitatem pronuntiaverat, consulit, si quid spei forsitan superesset. Sed ille, cœlestis iræ non ignarus, eadem sæpius interrogatus, respondit, ipsi regi specialem pœnam denuncians.
- 3 Tum verò Sedechias in iram excitatus, trudi prophetam in carcerem jubet; moxque Jer. 37. &  
seqq. eum crudelis facti piguit. Sed obsistentibus Judæorum principibus, quibus jam inde à principio moris fuerat bonos premere, absolvere innocentem non est ausus.
- 4 Iisdem cogentibus, in lacum immensi pro- 2. Reg. 25.  
2. Par. 36. fundi, cœnoque ac sordibus, atque ex eo exitiabili foetore horridum, demissus est,

*Postremis malis debitus*) Postremis malis dignus, extremæ, summæ calamitati destinatus. Eleganter *debere nos ea* dicimur, quæ metuenda nobis impendent. Sic, *mors naturæ debita*.

*Triennio obsedit*) Ferè biennio. 2. Reg. XXV. 1--4. Jerem. XXXIX. 1. 2.

2. *Jeremiam prophetam*) Qui anno XIII. Josiæ prophetare cœpit, & sub quinque Regibus sacro illo munere functus est.

*Specialem pœnam denuntians*) Jerem. XXXVII. 17. Quod Ezechiel quoque fecit.

3. *Trudi prophetam in carcerem jubet*) Jerem. XXXII. 2, 3.

*Absolvere innocentem non est ausus*) Similis jam fuit Othoni apud Tacitum Hist. I. c. 45. Qui *jubere poterat scelus, sed cui ad prohibendum auctoritas non inerat*.

4. *In lacum immensi profundi*) In foveam immensæ profunditatis. Fossam, seu locum subterraneum in

ut ne simplici quidem morte exspiraret. Sed rex, licet impius, aliquanto tamen sacerdotibus mitior, educi prophetam de lacu, & carceris custodiae reddi jubet. Interea 5  
 obsessos vis hostium & penuria urgebat : consumptisque omnibus, quæ mandi poterant, fames invaluerat. Ita defessis inedia defensoribus oppidum captum, incensumque. Rex, ut propheta dixerat, effossis oculis, Babyloniam translatus : Hieremias misericordia hostili carcere exemptus. Cùm 6  
 eum Nabuzardan, princeps regius, captivum cum ceteris duceret, delata sibi optione ab eo, *utrum in solo patrio deserto desolatoque subsistere, an secum abire in summis honoribus vellet*, residere in patria maluit. Nabuchodonosor abducto populo, resi- 7

carcere, *lacum* vocat, uti supra c. 10. 7. & lib. II. 7. 2. Cæterum *profundum* substantivè rectè usurpatur, notatque eine Tiefe.

*Ne simplici quidem morte*) Non uno supplicii genere, Curt. VIII. 7. 5. *Philotas ne simplici quidem morte defunctus est.* Nam per ultimos cruciatus tortus, laceratusque prius est, quàm saxis obrueretur, lib. VI. II. 15, 38.

*Sed rex, licet impius*) Monitus ab eunucho Æthiope, Abdemelech,

*Sacerdotibus mitior*) Legendum fortè *principibus*. Nec tamen aberrat Sulpicius. Nam Synedrium intelligere videtur, cujus magna pars sacerdotes erant.

5. *Quæ mandi poterant*) Quæ dentibus confici poterant, was man feuen und zerbeissen fonte. Cic. de Nat. Deor. II. 54. *Dentibus manditur, extenuatur, & molli- tur cibus.*

*Oppidum captum*) Undecimo anno Sedekiae, mense quarto, nona mensis. Jerem. XXXIX. 2. & I. II. 5, 6. 2. Reg. XXV.

*Incensumque*) Accidit hoc incendium post CCCCXXV. annos, quàm Templum dedicarat Salomo.

*Misericordia hostili*) Jussu Nebucadnezaris Jerem. XXXIX. 11, 12.

duis quos belli conditio vel prædæ fastidium reliqui à victoribus fecerat, Godoliam ejusdem gentis præposuit, absque ullo insigni regio aut imperii nomine: quia præesse paucis, & calamitosis, nulla dignitas erat.

7. *Quos prædæ fastidium reliqui fecerat* ) Videtur phrasi *relinquifacere* usus pro simplici *relinquere*, vel *negligere*. Ita C. Nep. XXV. 21. 5. *Nihil reliqui feci, quod ad sanandum me pertineret.* h. e. nihil reliqui, nihil neglexi. Videant ergo literarum latinarum periti, an non *quos reliqui fecerat*, eo modo dixerit Sulpicius, quo dicimus, *nihilifacere*, *parvi facere*, *parvi pendere*, &c. Vel, si hoc non arridet, an non *relinquifacere* quasi uno verbo, non pro duobus ulus sit? Quod si ita est, falsò solœcismi heic Noster arcessitur. Nam & Sallustium hoc verbo, sed conjunctim, sine *diapœses*, additaque vocula *nihil* usum esse, non semel observo. B. Cat. c. 11. c. 28. c. 52. B. Jug. c. 76. Quæ si minus satisfaciunt, scribe; *quos prædæ fastidium reliquos fecerat*. Nam hoc malim, quàm cum aliis, *quos relinqui*, vel *reliquias fecerat*. Curt. VI. 9. 27. *Quem reliquum calamitas fecerat.*

Godoliam ) Gedaliam.



## HISTORIÆ SACRÆ LIBER SECUNDUS.

I **C**aptivitatē tempora prophetarum vaticiniis atque actibus illustrata sunt. Cap. I.  
Maximè itaque Danielis egregiam Daniel.  
ad conservandam legem perseverantiam,

Lib. II. Cap. I. §. 1. *Captivitatē* ) Babylonicæ. Cujus tres potissimum gradus sunt. *Prima* *μετοικεσία* facta est sub Jojakimo Rege Judæ, 2. Chron. XXXVI. 6, 7. Jerem. LII. 28. *Secunda* sub Joachino seu Jechonia 2. Reg. XXIV. 13, 14, 15. *Tertia* sub Zedekia. Jerem. XXXIX. 9. & seq. & LII. A qua extribus his deportationibus populi Judaici initium sumant anni LXX. quibus captivitas definita fuit Jerem. XXV. 11. & XXIX. 1, 2, 10. inter Chronologos non convenit. Sulpicius cum vete-